

ros confirmans, contestansque Deos; id ut legati manda- 1495
rent, magnopere suadebat: qui, perculo temere exercitu, militibusque aut dispersis, aut pedem referentibus, eam rem aggredi non sunt ausi. Ex Gallis interfecti sunt ad mille, atque ex iis dux vigilum regis, itemque sagittariorum, & magistratus is, quem ipsi *magnum Maressalem* appellant, aliique præfecti militum deceun: tum nothus Bojus, primæ fere apud regem auctoritatis, & magni inter Gallos nominis, vulnere accepto, duoque magnorum principum liberi, & sacerdos regius, aliique captivi facti, cum eo prælio ex Venetorum exercitu nemo vivus in hostium potestatem venisset.

Postero die rex ante lucem igne plurimo facto, ut ejus copiæ ibi esse viderentur, sine ullo strepitu abiit, celeritateque usus, quam longissime potuit, antecessit. Venetiani consequi regem cum vellent, Taro flumine, quod ea nocte creverat, impediti restiterunt. Tum Severinas, qui prælio cum suis abstinuerat, imperatori legatisque sese obtulit, si sibi equitatum leviorem traderent, se regem remoraturum, dum ipsi cum reliquo exercitu veniant. Re impetrata, cum equitibus mille quingentis Italii profectus, longiore itinere per occasionem suscepito, quod flumen crevisset, consequendi regem eo die volens tempus omisit: quem postea cum esset consecutus, ei dux ministerque itineris potius, quam morator fuit Astam prope usque: ut id quod petierat ab imperatore legatisque, propterea videretur petiisse, ut illum in tuto sistiret. Id ab eo de Ludovici sententia esse suscepsum ea res indicio fuit, quod Bernardo Contareno ab Ludovico petenti, uti se cum suo equitatu extremum regis agmen aggredi fineret, Ludovicus non permisit. Eo biduo magnus equitum conscriptorum, multo major militum numerus ad exercitum Venetorum venit. Imperator subsidente flumine cum exercitu profectus, cum rex bidu*um* itinere præcederet, consequendi regem facultate amisfa, Græcos equites levissimos sexcentos misit, qui ejus agmen carperent, quaque possent, exercitui nocerent. Ii

*Caroli regis
fuga.*

dum